

**Usus Logicæ qvoad maximam partem eorum, qvæ P. Gassendus exercit.  
paradox. lib. I. exer. VI : Qvod in hac doctrina qvoqve apud Aristotelem innumera  
superfluant, probaturus, affert**

Rostochi[i]: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1702]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002555086>

Druck Freier  Zugang



Rupic 1702  
Engelken, Heinrich Askow



17.  
I. N. D. T. O. M. A.  
**USUS LOGICÆ**

quoad maximam partem eorum,

quæ

**P. GASSENDUS**

exercit. paradox. lib. I. exer. VI,

Quod in hac doctrinâ quoque apud Aristotelem  
innumera superfluant, probaturus,

affert.

*Quem*

Consensu amplissimæ Facultatis Philosophicæ

In inclyta Academia Rostoch.

PRÆSIDE

**DN. M. HENR. ASCANIO  
ENGELKE,**

Rostoch. Meclenb.

Fautore, Præceptore, ac Hospite suo omni  
honoris ac amoris cultu ad cineres usque  
devenerando,


IN AUDITORIO MAJORI

Anno MDCCII. die 29. Apr.

placidæ Eruditorum disquisitioni sistit

**BURCHARD. CAMPHÖVENER,**

Apenrad. Hofratus, Phil. & LL. cultor.



ROSTOCHI TYPIS NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliff. Senat. Typogr.

IND. T. O. M. A.  
USUS LOGICAE

quod in hunc modum patet eorum

P. GASSIENDUS

Quod in hac doctrina dicitur quod Aristoteles  
transmisit imperantibus, probatur

Continenti amplius tractatus Philosophiae  
in hunc modum Aristoteles

TRACTATUS

DR. M. HENR. ASCANIO  
ENCICLICE

Rostocki Medici

Facilem hunc tractatum ad hunc modum  
habetur in hunc modum ad hunc modum  
devenit

In hunc modum Major

BURGHARD CAMPBÖVERER

I. N. J. A.  
**PROOEMIUM.**



**L**ogicam esse disciplinam universalem, nemo negabit, cui ipsam paululum tantum considerare non est molestum. Testantur id ipsum communiter *Metaphysici* circa canonem usitatum, *Metaphysica cognoscit omnia*: ubi hoc prædicatum *Logica* quoque lubenter tribuunt, licet diversa ratione. *Metaphysica* enim omnia cognoscit realiter, ipsum *Esse* rei in genere exponens, nec non talia attributa, in quibus omnia entia particularia conveniunt. *Logica* vero tali ratione, quatenus illa operationes intellectus nostri in rebus propositis dirigere debet ad veritatem consequendam; quam utique, *præclarum quiddam esse*, ut verbis utamur *Platonis* (a), omnes sana mente præditi confitebuntur, Conf. *Weiß* (b) & *N. B. Pascha* (c). Non considerabimus hac vice usum *Logices* sigillatim in plurimis disciplinis. Præstitimus id aliquo modo in *diff. de Log. ortu & progressu*, (d) & in *exercit. Anti-Gassendiana*, (e) Unde haud difficulter apparet, eam in tractandis rebus *filium aliquod Ariadnes* esse, juxta effatum *C. Martini* (f). Quin potius nunc, quia haud defunt vulgò, qui hoc genus doctrinæ leve & non satis dignum *Œtorum* personis judicant, ea de re brevibus agemus. Tuetur contentorum illorum partes *Anonymus* iste, qui contra *C. Thomaf.* scribens semet *Realem de Vienna* vocat *J. U. D.* (g). At, licet optimè sciamus, non ea nunc tempora esse, quibus, qui ex *Logicâ* est discursus, præ omnibus maximè æstimatur, ut factum fuit tempore *Aristotelis*, nec non *Vossii*, quæ de re post: nunquam tamen cum contentoribus facere possunt ex ipsis *Juris Consultis* ii, qui rem ex merito æstimare volunt. Adducere hunc in finem licet verba *N. C. Lynckeri* (\*) qui seq. in modum loquitur: *Dirigit Logica mentem ad veritatem inveniendam. Et quidem merito eam resinemus in hunc finem cum Peripateticis, eo quod aptissimum sit instrumentum ad eam perveniendi, Syllogismus, quem in analytici direxit Aristoteles.* Adjungemus iis verbis consilium *J. Schilteri* (h) inqvientis: *Solcher gestalt nun ist einem Studioso Juris der Ufsus Logice und Metaphysica in der Jurisp. dermassen zu dociren / daß die Termini Technici Philosophici und Juridici wie Sie von einander discrepiren und und überein kommen / richtig declariret werden.* Ita etiam *Adam Keller*, (i) *Metaphysicam* quidem contemnit, logicam vero laudat, seqq. verbis: *Ego non memini me inter Œtos novisse quemquam, qui Metaphysicus fuerit, præter Dn. F. Streidackerum p. m. quem publice profitemem aliquandiu audivi, existimoque veram Logicam Œtis plus prodesse quam multa metaphysicorum theorica & sterilia theoremata ad verum usum forensium & praxin.* Interim & illud effatum de *Metaphysica* falsum esse, multorum clariss. (i) in tr. de off. Jurid. pol. I, c. 20. p. 28.

(a) ap. Diog. Laert. De vitis Philos. ed. Londin. fol. p. 79.  
 (b) Compmet. c. 4.  
 (c) coll. on. proœm. can. 4.  
 (d) H. Lips. Anno 1698. §. 1.  
 (e) H. Roß. Anno 1697. lect. 2. §. 11.  
 (f) de anal. log p. 12.  
 (g) in disc. & dub. (\*) instru- torii fo- rensis lit. X. 2.  
 (h) in curf. suo Stud. civ. §. 4.


(k) de pr. & riss. Jctorum testimonia comprobant, ex quibus H. Gebhard (k) Henning, Renne-  
dign. Ju- man. (l) F. Kleinschmit (m) N. C. Lyncker (n) F. Eisenhard (o) & C. Henelius (p)  
risp. concl. præter Schilterum jam citatum adducit J. C. Hartungus. (q) Verum hac de re nomi-  
na hæcce adduxisse sufficiat, quia hic de Logica agere constituimus. Hujus vero igno-  
12. rantia, quantum dedecus afferat Jcto, cum dolore confitetur Angelus Matheacius  
(l) In Jurisp. rancia, quantum dedecus afferat Jcto, cum dolore confitetur Angelus Matheacius  
Romgerm. (r) ita loquens: *Studiosam LL. Juventutem exhortari sapius consuevi, ut Dialecti-*  
p. 1. de pr. *ciam cum Jurispr. conjungeret, me namque sæpenumero tādūt plures audivisse ado-*  
Jurisp. disp. *lescentes in materia & forma argumentandi valde peccantes, prout ea verba legun-*  
26. th. 1. us- tur in J. Neldelii Prato Log. s. institutione de usu organi. (s) Sane si considerentur  
que 12. verba Cic., (t) quæ ita se habent, *Dialecticam esse, quæ rem definit, generat & sperit,*  
(m) in præc. *sequentia adjungit, perfecta concludit, & vera & falsa dijudicat, differendi ratio*  
Jurisp. tr. 5. *& scientia, quæ ejus verba inter sua repetit F. Thoming., (u) citatus a Neldelio,*  
lect. 3. n. 54. (y): unusquisque sane fateri cogetur, Logicam Jcto quoque necessariam esse, cui  
(n) in Artifi. pariter ut iis, qui in aliis doctrinis versantur, necesse est, ea de quibus agere vult,  
p. 1. c. 2. m. definire, res occurrentes bene a se invicem distingvere, unum ex altero per conclu-  
2. art. 2. siones elicere (cum omnia non expressis textibus sive explicitè, sed quædam argu-  
mento LL. i. e. *implicite* dicantur) indeque verum a falso discernere, tandemque  
(o) de pr. in omnibus propositis discurrere, atque ad occurrentia dubia responsionem invenire.  
phil. mor. Ostendit vero usum Logicæ Aristotelis in jure laudatus Neldelius, (a) qui, postquam  
in Jurisp. c. dixisset, jurisprudentiam & res ad eam spectantes non pertinere ad Logicam, sed  
2. aph. 6. tantum modum tractandi & cognoscendi enunciationes, inter se eas comparandi,  
(p) in flat. ostendendi, quæ sint contradictionis LL., struendi syllogismos & inductiones, judi-  
mercuriali candi consequentiam, discernendi rationes proprias & vernaculus hujus vel illius  
sect. 1. p. disciplina a dialecticis seu communibus oratoris & sophisticis, modos dividendi,  
post. c. 4. definiendi, discernendi definitiones *εὐνομαστίας* ab essentialibus, essentielles de-  
(q) in met. finitiones accidentium a causalibus; unde facile pateat, quod modus tractandi ut  
Jur. p. 10. n. alias disciplinas, itaqueque Jurisprudentiam, Logices sit; adductisque verbis Ari-  
16. c. 7. stotelis, (b) *ἀτόμω* sive absurdum esse, simul scientiam & modum scientiæ qua-  
(r) l. 2. de rere, nec non Cic., qui, non solum, inquit, *aliquid scire artis est, sed est quedam ars*  
via & rat. *etiam docendi*: VIII. considerat partes. Ostenditur enim in prima, quomodo ea, quæ  
Jur. cap. 11. ab Arist. tradita sunt de disciplinis practicis, locum habeant in Jurispr., quodque or-  
n. 17. dine analytico disponantur rectè, quæ in libris Inst. tradita sunt: quando *Finis Ju-*  
(s) p. p. 350. rispr. assignatur *justitia*, *subjectum autem quilibet actus humanus civilis, qua-*  
(t) l. 5. Tusc. *tenus ad justitiam, & LL. conformandus, principia praxeos actiones & — quicquid*  
qvæst. *ad integram hujus studii exercitacionem pertinet: ut — totus processus judiciarum.*  
(u) in Or. de In 2da p. judicia ad sunt excellentiū Jctorum de logica, probaturq; quod hæc etiam ad  
Stud. Jur. Arist. organum applicari possint, ut ad fontem, ex quo promanarunt præcepta *Topicor-*  
(y) l. c. p. 541. *um legalium*, quæ ad informandos Jctos scripta sunt. In *tertia* singulatim deducitur,  
(a) Inst. de quod nullus liber sit in organo Arist., qui non fructum ingentem *Jurispr.* Studiosis affer-  
usu organi, f. prati logi- re possit: In *quarta*, quod usum suum conferat doctrina de modis dicendi per se. In  
cip. p. 529. us- *quinta*, quod maximè attendenda sint ea, quæ de definitionibus præcipit Logica. In *sex-*  
que 616. *ta*, quod bene distingvi debeant probationes, quia aliæ ex propriis principiis eruntur,  
(b) l. 2. Me- aliæ non. Nihil enim notius est in jure, quam audire de rationibus dubitandi & de-  
aph. c. ult. cidendi. In *septima* mentio fit *Topicorum Arist. librorum*, & in *octava* denique tradun-

traduntur quædam de Regulis Juris. Demo nstrant vero ipso actu usum *Logica in jure*, qui scriptis logicis ad jus applicatis inclaruerunt. Quorsum pertinent præter Neldelium jam adductum *N. Vigelius, Fulvius Pacius, Daniel Otto, Matthias Stephani, Petrus Cornelius Brederodius, L. Neiddeccerus, U. Zasius, J. Th. Freigius, M. Schickardus C. Regnerus, H. Vultejus, N. Eberhardus*, (quem aliis præfert Lyncker.) *J. Oldendorpius*. Quorum alii *dialecticam Juris civ. & dialecticam legalem*, alii *Logicam Juridicam* & *ideam jur. logicam*: alii locos argumentorum legales, seu Topicam legalem confecerunt. Conf. *Acta Eruditorum Lips.* (c) Adde ex Neldelio (d) *Gamborum, Banoniensem, Stephanum de Vedericis, Libenteriam, Cantinuculam, Apellam, Mantuam, & ex Vossio (e) Franciscum Hottomannum*. Quibus accessit *J. H. Pott*, edito compendio dialecticæ Juris, (f) qui *Arist.* Topica in compendium rededit, exemplis *magnam partem* juridicis illustrata. Similiter *P. Treiber* edidit logicam juridicam, It. *Weidling*, phil. juridicam. Et Celeb. Juris-Consultos *Wesfenbecium, Eckholtum, Struvium. Lanzerbachium* Systema *Jurisprudentiæ civ.* ad methodum causarum tractare solitos esse, in propatulo est. Quibus ex nostra Acad. celeb. hac vice tantum accensimus Illustrum Virum *Dn. D. Kleinium. Seven. Ducis Mecl.* (quem DEUS T. O. M. conservare ejusque regimini clementissime benedicere velit) Consiliarium Intimum ac Consistorialem atque Juris in hac Acad. Antecessorem celeb., Patronum nostrum æternum colendum. (g) Nec non *Exell. Dn. D. Schopperum* juris pariter Antecessorem ac Consistoriarum Consistorialem famigeratissimum, (h) Fautorem nostrum omni honoris cultu prosequendum. Refertur huc quoque potest, quod ex veteribus *Jctis, qui Philosophos sapenumero in decidendis juris quæstionibus allegare non dedignabantur: Fulvianus* (i) laudet *Aristotelem*, qui tantopere addictus fuit doctrinæ logicæ, ab ipso maxime excoltæ, ut suæ philosophiæ eam ubique immiscere confveerit. Conf. *Verul.* (k) Necesse, ut aliquis opinetur, ipsam naturam sufficere ad ea præstanda, quæ *Jcto* ex logicis sunt necessaria. Nam artem excolere naturæ dictata patet, juxta usitatum *Can. : Ars præstantior est natura. Vid. Weiß.* (l) Et tantum abest, ut cursus studiorum juridicorum per cognitionem Præceptorum log. retardetur, ut potius aptiora reddantur ingenia ad melius percipienda & tractanda ea, quæ in juris recessibus continentur. Cum vero non omnia uno loco tractari posse facile scient. p. m. pateat, quid nobis hac vice tractandum sit, ipsum rubrum nostrum ostendit. Nimirum, quia *Stagiritam*, maximum in logicis artificem, qui sibi ipsi pro iis, quæ hic ab ipso recte inventa sunt, gratias haberi vult, (m) ubiq; quantum in ipso est, de ponte præcipitare tentat *Gassendus*, oppositis Logicæ quoque Aristotelicæ exercit. suis paradoxicis: (qualis autem uterque horum, & quale scriptum hoc Gass. sit, de re alibi jam docuimus) hac vice *J. DEO clem.*, defensionem in nos suscipiendus eorum, quæ inique a *Gassendo* rejiciuntur, usum illorum breviter ostensuri; non quasi in verba cujusdam absque ratione jurare velimus, quippe Autoritatis præjudicium a veritatis amantibus abesse debet, & nos quoque non in omnibus hic *Aristotelem* defendere, ipsius diss. nostræ inscriptio pariter ac lectio docent; sed ut ipsam veritatem in lucem protrahamus. Faxit DEUS T. O. M. feliciter! Sequatur igitur.

(c) Anno 1688. p. 667.  
 (d) l. c. p. 542.  
 (e) de log. nat. & con- stit. p. 25.  
 (f) Jenæ Anno 1688. conf. acta l. c.  
 (g) in An- notat. Theo- or. pract. ad Lauterb. variisqve a- liis tract. (h) in Syno- pli, (i) in 36. ff. de sol. (k) de augm. 18.  
 (l) comp. de met. p. 247. c. 5.  
 (m) de re- preh. soph. l. 2. c. 8.

Refutatio exercitationis bte Gassendi: quod apud  
Aristotelem innumerata superflua.

§. I.



Robaturus in cit. exercit. *Gassendus*, quod innumera, ut vocat, (revera enim pauca tantum esse, quæ affert, ipsa inspectio docet) sicut in aliis *Arist.* scriptis, ita etiam in *logicis* (de quibus quod jure *Aristoteli* tribuantur, conf. *diff.* nostram *ex phil. rationali*, quæ exercitationem *Gassendi* quintam examinat) (a) sint *superflua*, quæ jure abesse a tract. illa deberent: ordini ab ipso *Arist.* adhibito insistit, sicut ipse monet. (b) Primo itaque loco aggreditur librum *Categoriarum* sequentibus verbis: *Imprimis videtur totus Categoriarum liber omnino superfluus alienusque a Dialectica.* Ut ex ungue Leonem, sic ex primis statim verbis scepticum *Gassendi* ingenium (quæ de re conf., quæ dicta sunt in *diff. de sceptic. ortu & progress.* nostro sub præsidio habitam ab A. Udamo) (c) cognoscere licet. Nihil certi proponit, sed nudum, videtur; ad *Aristotelem* impugnandum sufficit. Et quid mirum! Nam lib. 2. *exerc. parad.* totam *Dialecticam* nullius usus esse, probare vult. Alias non ignoramus, esse inter ipsos *Peripateticos*, qui hunc tractatum pertinere ad *logicam* negant, inter quos sunt *Eustathius*, *Antonius Bernhardus Mirandulanus* (d) & *Baldvinus* citati a *J. Regio*. (e) Idem propugnat *Franciscus Patritius* (f) ut & *Ramus*. Ab ultimo autem istorum ea, quibus erga *Arist.* utitur, arma, mutuasse *Gassendum*, Autor est *Jonsius* (g). Idque factum more Scepticis consveto, qui ansam omnia oppunandi ut plurimum ex disceptationibus *Phil. Dogmaticorum* desumerunt. Conf. *M. Wild* (h). Ut vero ipsa res eo clarior reddatur, notamus, ipsum nomen *Categoriarum* teste *Porphyrio* ex foro in *Peripatum* translatum esse ab *Arist.*, quia vox illa Græcis publicam notavit accusationem, quam *Arist.* ad prædicationem traduxit. Et deinde vocabulum illud ita adhibitum est, ut per id intelligantur (1) coordinatio generum & specierum sub aliquo summo genere, (2) Ipsa summa genera, notante *Regio* (i) prior interim acceptio usitatissima est. Unde etiam *Scharffius* *prædicamenta* definit, quod sint classes rerum, & quidem ex mente *Aristotelicorum* tantum finitarum & completarum, licet alias, si hanc hypothesin non attendas, liberum sit *Philosopho* classes istas ampliare vel restringere, dicente *Pascha* (k). Ipsæ Series

(a) Hab. Lipf. Anno 1699.

(b) in præf. p. 30.

(c) h. Anno die 4. Febr. sect. 2. §. 11.

(d) sect. 2. apolog.

(e) comm. ac disp. log. l. 2. probt. 1. p. 17.

(f) in dis. cuss. perip.

(g) de script. hist. ph. p. 113.

(h) disp. 2. art. 4. §. 10.

(i) l. c. p. 327.

(k) quæst. extemp. p. 217.

ries prædicamentorum arbores vocantur, quæ ponuntur vel *in recto situ*,  
 quando individua infra ponuntur, & quasi loco radicis, & sic semper ad  
 universaliora datur progressus: vel *inverso*, quando progressus fit a summo  
 genere ad individua. Quod vero numerum attinet, *Plato* unum tantum præ-  
 dic. constituit, nempe *Entis*, referente *Regio* (l). Ordinarium numerum, (l) l. c. p. 329.  
 qui, licet ab *Averroë Arist.* tribuatur, dicente *J. Martini* (m) tamen *Pythago-* (m) Inst.  
*ram* potius vel *Architam Tarentinum* Autorem agnoscit, refer. *Pascha* (n), log. p. 321.  
*denarium esse*, in vulgus notum est. Non desunt vero, qui augere nu- (n) quæst.  
 merum volunt, utpote, quando *Marsilius Ficinus* apud *Reg.* (o) undecimum ext. p. 229.  
 addit, nempe *prædicamentum signi*, quod complectatur notiones secun- q. 14.  
 das; alii tale, quod complectatur ea, quæ neque *substantia* sunt neque *acciden-* (o) l. 1. p. 331.  
*tia*, notante *Regio jam cit.*, qui rationes quasdam pro 17. prædicamentis con-  
 stituendis adduci posse ostendit. Equidem, quod ad ordinarium spectat  
 numerum: *Fonseca* ex *sententia Thomæ Aquinatis* eundem demonstrare ni-  
 titur per modos generalissimos prædicandi de prima substantia. Alii idem  
 tentant per modos essendi. *Architas Tarentinus* more *Pythagoræ*, qui  
 numeris omni æstimant, ex perfectione numeri denarii. Sed *Aristo-*  
*telici saniores*, imprimis, quia ipse *Aristoteles* eam numeri non demonstravit  
 necessitatem, agnoscunt, illum tantum recepta *Phil. opinione & sententia*  
*niti, Conf. Reg. & Pascha* ll. cc., quorum ostendit ultimus, non omnia prædica-  
 menta exhibere classes rerum primo, i. e. ipso genere diversarum, quod ta-  
 men fieri debebat. Relationis enim prædicamentum, ut & IV ultima con-  
 tinere tantum modos & denominationes extrinsecas, cum etiam actio &  
 passio realiter non differant; unde accidens optime dividatur in *quan-*  
*titatem qualitatem & motum*. Iplum vero *Ens* esse genus prædicamen-  
 tale & univocum affirmant *Scotista* ac *Nominales*, ut *Occam & Gabriel*  
*Biel*. Sed vero *ens* esse tantum genus analogum, probat *Fonseca* (p) quod (p) l. 4. c. 2.  
 & utique verum est, quia *Ens* non potest dici æqualiter de substantia q. 1. Met.  
 & accidente, sed tantum ita, ut substantia primario & independentem a  
 subjecto inhærensionis sit *Eus*, accidens vero secundario, & ita, ut depende-  
 at a subjecto suo. Rationes *Fonseca* omnes non adducemus. Exhibent  
 itaque *Categoria*, quatenus in *Logica* tractantur, res, non, quatenus singu-  
 læ speciatim pertractandæ veniunt, quod disciplinarum est particularium,  
 prout *Physica* de corpore agit, *Pneumatica* vero de spiritu; neque eatenus, qua-  
 tenus *Entia* sunt, quæ consideratio *Metaphysica* vindicatur, sed, quatenus  
 ordo rerum ad facilitandas mentis operationes vergit, quia ex prædica-  
 mentis discere licet, qualis rebus inest ad prædicandum aptitudo, an u-  
 num

num de altero dici possit ordinatè & essentialitèr, quod sit, quando aliquid in serie reà pradicamentali super alterum collocatur, v. gr. Virtus super fortitudinem, justitiam, & temperantiam, an vero inordinate & accidentaliter, quando ista, quæ modo in ordine pradicamentali inferius collocata sunt, de superioribus dicuntur, v. g. fortitudo justitia aut temperantia de virtute. Exempla si quæras illarum virtutum, historiæ monumenta ea suppeditant. Sic in fortitudine Alexandri describendâ totus consumitur Q. Curtius, qui eundem temperantiæ quoque illius, quæ circa Veneris usum versatur, s. castitatis, singulare præbuisse specimen, dum captas virgines & Reginas excellentis formæ tam sancte habuit, quam si eodem, quo ipse, Parente genita forent; conjugemque Darii, quam nulla ætatis sue pulchritudine corporis vicit, non violavit, testis est. (\*) Pariter Friderici Wilhelmi Electoris Brandeb. fortitudinem, in libro ingenti de rebus gestis FRIDERICI MAGNI orbi exposuit S. Pudendorff. Quanta fuerit justitia Aristidis, satis exponit Cornelius Nepos, quando id eum obtinuisse

(\*) l. 3. c. 12.  
l. 69.

(\*\*) in vita  
ejus c. 1.

affirmat (\*\*\*) ut unus post hominum memoriam -- justus sit appellatus, ita, ut etiam quidam nebulonum, interrogatus ab Aristide ignoto, cum in expulsionem ejus consensisset: Cur id faceret, aut quid Aristides commisset, cur tantâ pœnâ dignus duceretur, responderit: se ignorare Aristidem, sed sibi non placere, quod tam cupido elaborasset, ut præter ceteros justus appellaretur. Temperantiæ verò illius, quæ in sumendo nutrimento se exerit, s. frugalitatis admirandum præbet exemplum Agesilaus Lacedæm. Rex,

(\*\*\*) in vita  
ejus c. 7.

ab eodem laudatus Cornelio (\*\*\*) Audiamus verba ejus. Domo, inquit, eadem fuit contentus, quâ Evrysthenes, progenitor majorum suorum fuerat usus: quam qui intrarent, nullum signum libidinis, nullum luxuria videre poterat: contra ea plurima patientiæ atque abstinentiæ. Quod ipsum

(\*\*\*\*) c. 8.

postea magis declarat, (\*\*\*\*) quando refert, Agesilaum, cum ipsi in Ægypto varia cujusque generis munera essent allata, præter vitulina, & hujusmodi generi opsonii, quæ præsens tempus desiderabat, nihil accepisse, ungenta, coronas, secundamque mensam servis dispertiisse. Qui plura talium virtutum exempla desiderat, Valerium Maximum adire potest, & J. Langium (\*\*\*\*).

(\*\*\*\*) in  
Polyanthea

Omnia autem singularia virtutum exempla, infra species suas, tanquam superiora sua collocandas esse, facile patet. Sic etiam, quæ in diversis locuntur prædicamentis, de se invidem non nisi accidentaliter prædicantur. Conf. Pasch. (+) Pariter cum prædicatio vel sit immediata vel mediata, ex prædicamento discere licet, quodnam immediate prædicetur, scil. id, quod immediatè super alterum stat, & quodnam mediate, nempe id, ubi aliquid interjacet.

(+) Quæst.  
ext. p. 227.

S. II. Ex

§. II. Ex dictis patet, quam male *Gassendus* ita absolute rejiciat librum *prædicamentorum*, imprimis, cum idem *Metaphysicam* non agnoscat, ad quam hæc doctrina ab aliis Philosophis eam ex Logica eliminantibus remittitur. Sane Logico ordinem rerum tenere in omnibus mentis operationibus, sive de simplici agat apprehensione, sive unum de altero enunciet, sive argumentando, aut methodicè tractando quadam de re discursum tradere velit; necesse est. Inde ipse *Gassendus* postea *canonem* sextum sequentem in modum constituit: *Prodest mente tenere seriem quandam idearum rerumve*: Atque arborem tradit substantiæ prædicamentalem. Juris quidem peritis notitiam *prædicamentorum philosophicorum* non adedò conducere vult ante cit. *Treiber*, (r) citans etiam *Weidling*, quod facteatur, *horum* utilitatem vel plane nullam vel exiguam dari. Sicut ille propterea quædam ex prædicamentis juridicis, ut vocat: *factus* tamen quod philosoph. prædicamenta tam generalia sint, ut prædicamenta juridica ad illa possint revocari. Unde non inutile eorum doctrinam *Jureconsulto* esse apparet. Commendat præcipue *Jurisconsulto* prædicamenta relationis & actionis *Neldelius*: (s) *cum plena sint in hac disciplina relatorum relationumque omnia, ipsa quoque justitia & jus suam vim omnem πρὸς ἄλλου seu ad alterum exercent*. Addit, *Juris interpretes sæpè prædicamentorum* facere mentionem, & modo probationes per omnia 10 genera rerum latissime diffundi, modo res dubias in iisdem omnibus reperiri statuisse, secutos *Jurum Claudium Zadolin*. Prædicamenta enim esse sedes omnium. Magni quoque ordinem rerum facit *S. Puffendorf*, (t) quando, postquam asseruerat, ad *Philosophiam primam* spectare, *latissimas rerum definitiones* tradere, ac easdem in certas classes congruè disponere; addit: *in classe quidem rerum naturalium sic satis hoc præstitisse videntur, qui eam disciplinam excolendam hætenus sumserunt*. Licet nec hoc taceat, eosdem circa entia moralia non pro istorum dignitate fuisse sollicitos. Unde ipse hanc doctrinam accuratius tradere constituit. Agit quoque non solum de *prædicamentis usitatis*, sed etiam *moralibus* *C. Weis*, (u) qui in præfatione asserit, se in id incubuisse præ cæteris, ut *Logicam elegantissimarum disciplinarum* (*Oratoriæ & Politicæ*) conjunctione singuli cognoscerent elegantiores.

§. III. Sed videamus rationem *Gassendi*. Desumpta illa est exinde, quia liber *Categoriarum* nec ad inventionem pertineat, nec ad iudicium. Ita enim loquitur: *Cum dialectica duabus partibus contineatur, inventionem & iudicio, (ut Cic. in topicis vel ex ipso Aristotele docet) propterea quod is, qui ad probandam alteram questionis partem & invenit argumentum, & il-*

B

lud

(r) Log. jurid. P. 1. C. 1. P. 49.

(s) l. c. p. 547.

(t) De jure Nat. & Gentium l. 1. c. 1. §. 1.

(u) in doct. log. p. 136. c. 5. & p. 168. c. 12.

lud maturo iudicio adhibito disposuit, videtur prorsus Dialectices finem esse  
 assecutus. Cum id, inquam, ita sese habeat, ipse liber categoriarum nec  
 inventionis est, nec iudicii. Verum non ita facile conceditur ipsum Gas-  
 sendi praesuppositum, quod *Dialectica* recte in duas memoratas partes  
 dividatur. Est illa divisio quidem *Cic.*, sed *Ciceronis* autoritas h. l. nulla  
 est; quia ille *Academicorum* castra secutus, nihil certo sciri posse, defendit.

(x) in lib. acad. quaest.  
 (y) comment. log. advers. Ram. prol. c. 8. p. 50.  
 (z) De Log. natura. p. 42.  
 (a) l. i. pr. anal. in fine & l. 8. top. c. 1.  
 (b) l. c.  
 (c) l. c. ex. 6. p. 40.  
 (d) ex. logicis p. 279.  
 (e) de log. nat. ac const. p. 42.  
 (g) system.  
 (h) instit. de usu org. Arist. ed. in quarto p. 14. §. 6.  
 (l) in method. part. p. 17.  
 (m) in met. hom. p. 12.

(x) Deinde *Ramus*, quem h. l. *Gassendus* sequitur, ne quidem cum *Cicerone* consentit, quia *Cicero* voce argumenti (de cuius inventione & dispositione *Ramus* in *Dial.* sua agere vult) intelligit *inventum probabile ad faciendam fidem*; *Ramus* vero etiam singulas sententiarum (sine enunciationum) partes, observante *C. Martini*; (y) qui etiam notat *Stoicos* eandem divisionem iisdem quidem verbis, sed non eodem sensu adhibere. Imo *Stoicos* saltem in parte de iudicio versari, defendit *Vossius*. (z) Ad *Aristotelem* deinde etiam provocat *Ramus*, sed partim unam ab *Arist.* positam partem omittit, quia *Aristoteles* praeter *inventionem & iudicium* addit etiam *dispositionem*; (a) partim sua definitione prodit, quod *iudicium & dispositio* non possit unum idemque esse; quando *iudicium* (b) definit, quod sit *argumentorum dispositio ad iudicandum*. Itaque dispositio est prius quid, iudicium autem posterius. Conf. *Reg. exerc. peripateticas* adversus *P. Frideri Mindani partit. logicas*. (c) Deinde, praeter mentem *Arist. Ramum* priora duo membra ad totam referre *Logicam* alferit *M. J. Werenberg*, (d) quia *Aristoteles* in primo loco de prioribus analyticis syllogismi tractationem continentibus agat, in altero vero de parte *logices, dialecticae*, & potius de officio disputatoris. Inde etiam *Vossius*, (e) divisionem *Ramus* organo *Aristotelis* commode aptari, vix sibi eniani illius *Cetegi* svada persuaderi posse, ait; non obstante, quod *Cic.* *Aristoteli* hanc placuisse definitionem existimet. Conf. quae ex *Keckermannno*, (g) *Fac. Martini*, (h) & *J. Neldelio* (i) attulimus in *diff. ex phil. ration*, contra *Gass.* *exerc. stam*, quod *innumera apud Arist. deficiant*. §. 7.

§. IV. Quo iure vero dicere *Gassendus* poterit, praedicamenta ad *inventionem & iudicium* nihil conferre? Conducunt sane praedicamenta ad *definiendum*. Termini enim superius collocati genus suppeditant, colaterales vero differentiam. Ostendunt eadem rationem *dividendi*. Superiora enim in ea dividuntur, qua infra illa conspiciuntur posita. Pariter argumenta *explicantia*, de quibus confer *Eislerum* (l) & *Goebel* (m) ex *ipsis praedicamentis* desumi possunt. Unde *Eislerus* etiam in *dispositione argumen-*

gumentorum explicantium mentionem facit talis illorum collocationis, quæ fit beneficio X. prædicamentorum, (\*) addito exemplo (†) ubi thema (\*) p. 103. de Angelo hac ratione pertractatur, ad quod nos brevitatis gratia Lectorem B. remittimus. (†) p. 136.

S. V. Exemplum pro sua sententia profert Gassendus sequens: Si proponantur quæstio. V. gr. Utrum Aristoteles immolarit suæ concubinæ, quanam ratione desumetur disponeturve argumentum ex substantia, quantitate qualitate & cæteris. Sed quam bene hic agat Gassendus, per se patet; quia non sequitur: ex prædicamentis non patet, quæ ratione quævis quæstio historica decidi queat; ergo prædicamenta nullam habent utilitatem in inveniendis & judicandis argumentis. Quis enim feret argumentantem a particulari ad universale? Deinde, si modo præjudicia non occupassent mentem Gassendi, ex ipsis prædicamentis discere potuisset, quo jure moveatur contra Aristotelem a summis ejus calumniatoribus quæstio illa, quam cum tanta delectatione repetit Gassendus. Tales enim si audire fas est, quid non Epicuro Gassendi imputarunt Stoici? quod merito post alios ipse refutavit Gassendus (n). Quam non imprudentiam in degenda vita, ut nihil quicquam vitaret, nihil caveret, omnia subiret, plaustra, si fors obtulisset, prærupta loca, canes non declinaret, ut refert Diogenes, Laertius, (o) Pyrrhoni a Gassendo maxime laudato nonnulli adscribunt? quod apud eundem Laertium refutat Ænesidemus. Sane si Aristotelem juxta prædicamentum qualitatis, ut doctum & de uno DEO sane sentientem Virum, & immolationem ex prædicamento motus, (ut vocat Pascha (p)) h. e. actionis & passionis, consideres, ut ejusmodi rem, quæ soli DEO convenit, facile patet, quod non potuerit Aristoteles concubinæ immolare; neque in bonum Virum ex narratione quadam suspecta apud probos homines cadere possit suspicio. (n) tract. de vita & mor. Epicuri. (o) in Pyrrhone, (p) metaph. p. spec. c. 4.

S. VI. Instat Gassendus: in categoriis non digeruntur res omnes, sed si aliquæ attingantur, confunduntur potius, --- & rerum dispositionem & seriem novisse, non Dialectici est sed Physici, vel artificis alterius. Cedo autem, quam præclara classis, & quæ rerum varietate exornata sit apud Aristotelem categoria quando vel etiam situs & habitus. Sed respondetur, ipsum nomen prædicamenti, quod ex usu notat classem sive ordinem rerum, refutare illam objectionem, quod res in prædicamentis confundantur. Non omnia, quæ in ordinem redigi possunt, ab Aristotele pertractata esse, nemo negat. Ipsa tamen initia non sunt spernenda. Imo vel id saltem laudem meretur, quod tali modo occasio subministratur, tam de concinni-

ori, quam hæcenus adfuit, rerum ordine cogitandi, quam defectus sup-  
plendi, & pro ratione rerum considerandarum classes alias conficiendi.  
Qua ratione prædicamenta quædam juridica hñtere *Treiberum*, & de classi-  
bus *entium moralium* sollicitum esse *Puffendorff*, *Weisum* vero *moralia* re-  
liquis conjungere, ante vidimus. *Physici* autem esse, rerum nosse seriem,  
non de omnibus verum est in prædicamentis occurrentibus; eum ipse  
*Ramus* asserat, fieri hic *aggregationem quandam rerum physicarum & e-  
thicarum*. Et *Metaphysicæ* potius esse, ex professo rerum divisionem specta-  
re, alibi fufius probatur. De *Metaphysica* verò altum est apud *Gassend-*  
dum siléntium, prout in examine hypotheſeos, quod philosophicas non-  
nullas disciplinas cum *Epicuro* rejiciat *Gassendus* vidimus (q). *Logicam* vero  
prædicamenta considerare, quatenus ad operationem mentis faciunt, & sic  
tantum in acto exercito, ante dictum est. Unde diversus respectus dubium  
hocce tollit. Vid Reg. (r) Conf., qui probat doctrinam *prædicamentorum*,  
qualis in logicis exstat, ad *Metaphysicam* non pertinere, I. Zabarella. (s).  
§. VII. Quando quæritur porro: ane aliquid sit superfluum? non  
absque distinctione res decidi potest. Aspicienda sunt tempora atque subje-  
cta. Tempore sane *Aristotelis* *Logicæ* inventoris in ipsis convivii discursus  
ex *Logicis* motos esse, & *majori admirationi fuisse omne, quod videretur  
logicum, observat Kekerm. (t), & Vossius, ipsas controversias de genere  
Logices suo tempore agitata memorans, ob id eo præviorem hujus rei  
rei notitiam vocat (u)*. De pruritu controversias logicas suò tempore tra-  
ctandi, deq; senis *Goctenii* in illis studio conf. *Schupp. (x)* Nostro vero tem-  
pore nihil vulgo magis exosum est, nihil minus ad palatum *Politico-*  
rum, quam de subtilitatibus logicis audire. Tempori itaque inserviendum,  
ita tamen, ut non intermittatur veritas. Non necesse sane est, iis, qui bre-  
viter tantum logica audire volunt, late omnia de prædicamentis propo-  
nere. Interim, qui ulteriorem *Logices* notitiam desiderat, in hac quoque  
doctrina instruendus est, ut distinctionem sæpissimè occurrentem inter res  
*prædicamentales & transcendentales* recte percipiat, imprimis, quia *A-*  
*ristoteles in logicis* (non obstantibus nonnullis defectibus) non desinit ve-  
ris rerum æstimatoribus, etiam iis, qui illum alias deserunt, admirationi  
esse. Tacemus, quod, qui ex professo disciplinam aliquam scire volunt,  
non negligere possint, qua methodo viri in ea celeberrimi usi sint,  
cognoscere.

§. VIII. Ad alia se convertens *Gassendus*: *Ne in hoc rament im-*  
*maremur, ait, an non superflue in Dialecticam transferuntur definitiones*

(q) in exerc.  
Anti - Gass.  
sect. 2. §. 15.

(r) comm.  
ac disp. log.  
p. 319. seqq.

(s) de nat.  
log. l. 2.

(t) syst. syst.  
p. 25.

(u) de log.  
nat. p. 6.

(x) in teuf-  
schens Lucii-  
ano p. 216. f.

*nominum equivocorum, univocorum, denominativorum? Certe enim ista gram-*  
*matica sunt, & ex Grammatica supponenda.* Pertinent definitiones a *Gassendo*  
*memoratae ad antepredicamenta, ut vocantur; quæ ab Aristotele ipsis*  
*predicamentis proœmii instar præmissa sunt, prout Mathematicis in mo-*  
*re positum est, suis principiis aliquid præmittere; quam rationem hoc loco*  
*observasse Aristotelem existimat Regius. (y) Et quidem ignorata doctrina* (y) *disp. log.*  
*hic proposita sufficiens non potest haberi cognitio predicamentorum,*  
*quia ex antepredicamentis patet, an terminus aliquis in predicamentum*  
*quoddam, & in quodam illorum speciatim sit reponendus. Ut autem*  
*non commemoremus multis, ad antepredicamenta ab Aristotele referri*  
*quasdam definitiones, divisiones & regulas; illam explicationem ei loco,*  
*ubi ex professo his de rebus agendum est, relinquentes; jam tantum jux-*  
*ta occasionem a Gassendo suppeditatam notamus: usum definitionum ante*  
*memoratarum maximè sese exercere in intelligenda ac interpretanda a-*  
*liorum mente; ubi utique probè venit attendendum, utrum vocabulum a-*  
*liquod sumatur equivocè, h. e., conveniens quoad nomen, sed non quoad*  
*rem, v. gr. quando Nero ob crudelitatem vocatur leo, (z) & Herodes* (z) *s. Tim. 3.*  
*ob astutiam vulpes: (†) an vero synonymice, h. e. conveniens quoad nomen*  
*& rem, v. gr. quando nomen leonis & vulpis ipsis bestiis rugientibus &*  
*gannientibus tribuitur. Est vero de æquivocis in Logica præcipiendum, quia*  
*talia non solum in nullo predicamento locum habent, verum in omni quo-*  
*que discursu ab æquivocis sedulo est cavendum, juxta usitatam regulam. Et*  
*quo magis inter Viros politicos ars viget, æquivocis verbis mentem oc-*  
*cultandi: Quorsum pertinent decantata illa in Anglia quondam absque*  
*commatibus scripta verba: si reliqui consentiunt ego non contradico: ita,*  
*ut etiam simulatio necessaria Principi judicetur ab illo Imperatore, cujus est*  
*sequens effatum: nescit regnare, qui nescit dissimulare, (quem sive Fri-*  
*dericum sive Sigismundum fuisse tradit, qui hac dere ulterius conferri po-*  
*terit, J. Lipsius) (a) eo magis Logicus curat, ut partim cautio observetur,*  
*partim extra tales casus æquivocatio intermittatur, ne contra voluntatem*  
*nostram dubium de sensu verborum nostrorum oriatur. Unde in verbis*  
*testamenti atque mandati a nativa verborum significatione non receditur;*  
*quod Theologi quoque in verbis institutionis S. cænæ urgent. Qua de cau-*  
*sa remittimus B. lectorem hac vice ad B. Dietericum (b). Deinde mirum est,*  
*quod Gassendus omnes has definitiones ex Grammatica supponendas velit,*  
*cum tamen synonymi vox aliter accipiat in Grammatica; notat enim vo-*  
*cabula*

(y) *disp. log.*  
p. 348.

(z) *s. Tim. 3.*  
v. 17.  
(†) *Luc. 13.*  
v. 32.

(a) *civilia*  
*doct. l. 4.*  
*c. 14. p. 152.*

(b) *de cœn.*  
*dom. quæst.*  
37. p. 833.

cabula idem significantia, quæ sunt DEUS, *ἄδῆς*, "Summum humen &c.", aliter in Logica, ubi synonymia datur, quando pluribus idem terminus quoad nomen & rem convenit, ut Magistratus Imperatori Regibus atque Principibus. Et quæ Grammatici synonyma, Logici nonnulli multivoca vocant, conf. *Regius*. (c) Pariter per paronymiam non intelligitur in *logicis* nuda derivatio *grammatica*, quæ convenientia literarum & syllabarum contenta est, & præterea ita sese habet, ut vox primitiva non pluribus constet literis ac syllabis quam derivativa, teste Pascha (\*); sed talis, quæ etiam in sensu requirit convenientiam, & ut vox derivativa pauciores interdum primitiva literas habeat atque syllabas. V. gr. quando a doctrina ut voce abstracta doctus derivatur anquam concretum, Conf. *Becbm.* (d). Nam abstracta simpliciora sunt significatione, nudam saltem formam, sive rem subiecto convenientem notantia, cum contra concreta unà cum forma subiectum denotent, sive id, cui res illa convenit. Non negamus interim ulteriore deductione atque explicatione hic in Aristotele opus esse? Unde Gassendus pergit: *Si dicas, hæc idcirco definienda fuisse, quod non sint ignoranda dialectico: cur non & definienda fuerunt concreta, absoluta, abstracta, analogæ, & alia, quæ jam etiam a dialecticis definiuntur*: non attendit, quod nihil aliud dicat, quam absolute perfecta non esse, quæ tradit *Aristoteles*. Terminos enim hosce tam in demonstratione quam interpretatione ulum exerere haud contemnendum, omnes vident, qui non sunt talpa cæciones. Sic de voce *Trinitatis* notum est, illam existere 1. Joh. 5. v. 7. non in abstracto sed in concreto. Posito vero concreto ponitur abstractum, Ut si dico, dantur jurisperiti, ergo quoque jurisprudentia. Pariter, quando audimus vocem *Magistratus*, attendendum, an abstractivè accipiat, v. gr. in usitato Gallis proverbio: *Rex Gallia non moritur*, Galli non concrete intellectam vocem *Rex* volunt, pro subiecto regimen sustinente, verum abstractivè pro dignitate ac potestate regia. Conf. *Grosser*. (e) Nisi quis forte de hodierno Gallia Rege, qui terminum vitæ, ipsi à famulo Astrologo, qui vulgò vocatur, *der Englische Warfager* / positum, jamdiu supergressus est, proverbium accipi posse patet.

S. IX. Ridiculam porro vocat *Gassendus* antepredicamentalem divisionem, dum aliqua dicuntur dici de subiecto & non esse in subiecto, aliqua esse & non dici, aliqua & esse & dici, aliqua nec esse nec dici. Nullo vero jure eam vocat ridiculam. Quamprimum enim intelligitur mens *Aristotelis*, veritas asserti ejus patet. Nam *esse in subiecto*, est, esse

(c) in disp.  
log. p. 360.

(\*) quæst.  
ext p 83.

(d) Inst.  
log. p. 87.  
1699.

(e) Phar. int.  
p. 24. & 25.

*esse in alio accidentaliter.* Accidentia autem non possunt esse sine sub-  
jecto, & tamen non sunt illius pars. Inde Papistis transubstantiationem  
(ut voce utamur barbarâ, à Pont. in Concil. Lateran. A. 1215 inventâ. Vid.  
*Alb. Interesse relig. Christ.*) (f) defendentibus, ita ut accidentia panis ma- (f) p. 416.  
neant, non ipse panis: opponimus definitionem accidentium. Vid Gros-  
ser (g). Dicit vero *de subjecto est predicari de inferioribus essentialiter,* (g) Phar.  
prout illarum definitionum explicationem ipse recenset *Gassendus*. Et quidem int. p. 28.  
hac divisione omnes exhibentur res, quæ in hoc reperiuntur universo, in omni-  
bus, quotquot sunt prædicamentis dispositæ. Quicquid enim ad est Entium, vel  
substantia est, vel accidens, utrumque autem illorum vel universale vel  
singulare. Ex quibus quatuor membris constituta est divisio illa. Jam i-  
taque omnia genera, omnes species, omnes differentia prædicamenti sub-  
stantia ita se habent, ut de suis inferioribus dicantur vel prædicentur es-  
sentialiter, sed non insunt in illis, vel inhæreant, tanquam accidentia in  
subjecto. Substantiarum enim est per se subsistere. Deinde accidentia  
singularia insunt quidem subjecto, quoniam inhærere est de natura acci-  
dentium, sed de nullo subjecto inferiori essentialiter dici possunt, sive e-  
nunciari. Porro accidentium universalium conditio requirit, ut non in-  
sint solum subjecto, quod etiam singularibus convenire, modo dictum est;  
sed & de subjectis dicantur prædicationis essentialis. Denique de indivi-  
duis substantiarum rectè affirmatur, ea neque inesse subjecto, quod pariter  
universalibus tribui substantiis ante dictum est; cum individua ipsa sint sub-  
jecta, quæ vocantur inhesionis; neque de subjecto dici, quia individua nul-  
lum agnoscunt inferius Ens, utpote quæ in ordine substantiarum rectè in-  
fimum occupant locum, suntque fundamenta generum & specierum. Et  
ut eo minus nosmet æquivocatio in voce *subjecti* latens, decipiat, obser-  
vamus: subjectum inhesionis nihil aliud esse, quam substantiam, cui in-  
hæret accidens reale; per prædicationis autem subjectum intelligi hoc loco  
id, quod prædicato opponitur, eique tali, quod tanquam superius essen-  
tialiter de inferiori affirmatur. Sic, ut exemplum addamus: Principis susti-  
nere dignitatem de singularibus Principibus prædicatur essentialiter, tanquam  
superius, cum tamen nemo negaturus sit, tale attributum viris in tanto  
fastigio ab ipso DEO, quem representant, constitutis, accidentaliter inesse.  
Non est itaque tanto rila digna hæc divisio, ut exclamare, quasi re bene  
gesta, ausit *Gassendus*, *mirum dictu? qua ratione tanta quisquiliæ place-  
ant*; Licet alias non negemus, hanc divisionem quoad rem quoque tunc  
expli-

explicari, quando de substantia & accidente, & utriusque in universale & singulare subdivisione tractatur. Ex quo fundamento *Scharffium* hanc divisionem cum aliis ab *Aristotele* positis hoc loco omittentem excusat

(h) quæst. c. *Pascha* (h).

4. p. 47.

§. X. Pergit vero *Gassendus*, postquam satis impudenter, multa præterea esse *alia id genus commenta, quæ commemorare pudet*, non probaverat, sed pro autoritate sua, quæ pollet, septica, tantum dixerat: *nisi fortassis adhuc juvet querere, ad quodnam ex illis capitibus revocent, quod capite de substantia dicitur, individuum esse in specie? Cum illud respectu illius nec sit superius nec accidens.* Non memor vixit hoc loco *Gassendus* verus *Cartesiani* satis decantati: Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum. Modo enim *Aristotelem* ob æquivocationes taxat, modo id ipsum crimen summo committit studio. Quæ ratione *Jo esse in subjecto* in divisione *Aristotelicâ* ante adducta sumatur, ipse expoluerat *Gassendus*. In modo cit. autem cap. *Arist.* de substantia nequidem totum illud reperitur: *individuum esse in specie, tanquam in subjecto*, sed tantum nude, illud *esse in specie*. Varios autem dari modos, quibus aliquid dici pos-

(i) phys. I. 4.

c. 3. t. 23. p.

493.

(\*) p. 109.

sit esse in altero, patet ex *Arist.*, (i) quos circa postprædicamentorum doctrinam adjicere conserverunt ex *Logicis* multi, his inclusa versiculis a *Scharffio* (\*).

*Insunt pars, totum, species, genus & calor igni*

*Rex in regno, res in fine, locoque locatum.*

(k) quæst. log. 23. §. 6.

(l) l. c. p. 344:

Ut non addamus, quod *Ammonius* aliique citati a *Stalio*, (k) modos hos augeant, quod & facit *Pascha*. (l) Vidimus vero, primum ineffendi modum apud *Aristotelem* esse, quando *pars est in toto*. Jam vero quælibet species respectu suorum individuorum, æque ut quodvis universale respecta eorum, quæ sub se complectitur, inferiorum, est *totum universale, quod plura essentialiter inferiora veluti partes subjectivas complectitur*, docente *Donato* (m). Non iuvat igitur, sed *superfluum* est, (scopice querere, quorsum pertineat, quando individuum dicitur esse in specie?

(m) metaph.

usual, p. 125.

§. XI. Paucis interjectis *Gassendus*: cedo vero, ait, *quam egregie qualitatem definiat, secundum quam aliquid dicitur quale? quasi vero quale dicatur, nisi quod habet qualitatem, ac proinde notitia qualis non supponat habitam qualitatis notitiam.* Non bonam esse *Aristotelis* definitionem libenter concedimus, sed cum hic erroris potius vel defectus accusandus sit *Aristoteles*, id ipsum in hac exercitatione monere, iterum non nisi *superfluum* est.

§. X. II. Ad

§. XII. Ad Examen eorum, quæ in oppositorum tractatione superflua apud *Aristotelem* Gassendo, nobis vero, si non in totum defendenda, tamen excusanda videntur, & condonanda Logices inventori; se accingens *Gassendus*: paulo post, mirere, inquit, si, cum privatio ipsi tantopere placeat, ipsam principium omnium rerum naturalium effecerit. Equidem, privationem non esse ex numero principiorum corpora naturalia, quæ jam constituta sunt, componentium, certum est. Talia enim (de internis loquimur,) duo sunt, *materia & forma*. Sed si de principiis productionis corporum quaritur, rectè adjungitur hisce duobus privatio, tanquam terminus a quo, ut album sit ex non albo, & musicum ex non musico, quæ verba sunt ipsius *Aristotelis* (n). Imo in generationibus, quales hodiè sunt, privatio conjuncta est cum aptitudine quadam materia & habilitate propiore ad recipiendam formam, eoque sensu adhuc magis meretur inter generandi corporis principia connumerari; ut loquitur *Sturm*:  
 (o) Conf. du Hamel, (p) ad quem etiam *Sturm* provocat.

§. XIII. Taceo, inquit *Gassendus*: habitum ita se habere, ut sit nunc qualitatis species, nunc species oppositi, nunc summum genus predicamenti, nunc genus postpredicamenti. Sed merito de his tacendum est; quia tota res iterum ad meram delabitur æquivocationem, prout jam indicavimus in diff. (q) Diversas enim res per unum vocabulum diversis in locis denotari, ex definitionibus appositis patebit. Ut exemplum apponamus; *Columbiani* docent, nullius mali authorem esse *DEUM*, *Floriani* contra *DEUM* omnis mali authorem esse; apud *August.* (r), quem citat *C. Martini*, (s) qui etiam eos magna *Logices* inscitia collidi, asserit. Nam oppositio ista non est contradictoria, verum contraria, qualis interdum falsa esse potest. Unde etiam malè *Gassendus* alibi (t) contrariam oppositionem contradictoriam vult appellari, quia illa sit potissima. Sed hac de re, *D. J.*, alio tempore. *DEUS* sanè alicujus mali causa vocatur, (u) sed cujusdam mali negatur esse causa, ob justitiam suam. Audiamus eade re verba *Platonis* Philosophi gentilis, qui, (x) malorum, inquit, alicui causam esse ipsum *DEUM*, quum bonus sit, refellendum est omnino, neq; permitendum, hoc quenquam dicere in sua civitate, si bonis institui legibus civitas debet, neq; insuper quemquam audire, sive sit ille Senior sive junior, sive carminibus hæc inferantur, sive soluta oratione narrentur, tanquam qua neq; dictu sancta sint, neq; nobis utilia, neq; inter se consona. Homonymia igitur in voce mali latens evolvenda est. Quando per eam intelligitur malum culpæ sive

(n) phys. l. 1.  
c. 5. T. 43.

(o) phys. concil. c. 1.

p. 10.

(p) de conf.

vet. & nov.

phil. l. 1. c. 5.

& 6.

(q) cenfor

conf dignus

sect. 2. §. 5.

(r) lib. de

hæres.

(s) de anal

log. p. 27.

(t) exerc. 1.

2. exerc. 4.

p. 181.

(u) Am. 3.

p. 6.

(x) de Re-

publ. l. 2.

pecca-

peccatum, illud DEO, ut Auctori tribui nequit. Quando autem malum pænæ sive pæna per id denotatur, a DEO utique provenit. Præterea longè alia significatio est ejusdem vocis *mali*, quando fructus arboris per eam indicatur. Mala enim in hoc sensu multos appetere quis nescit, qui eadem tamen in priori sensu accepta maxime averfantur? Sane si *Gassendus* termini æquivoci definitionem ex *Logicis* eliminat, (prout ante vidimus) ut ipsi quid pro quo liceat erga *Aristotelem* proferre, eo cautius mercari debent, qui non volunt decipi.

§. XIV. Iterum *Gassendus*: *taceo*, ait, *quam apposite inter modos ceteros tractet sub finem (Aristoteles) de modis seu speciebus motus. Opinor certè, Aristoteles dicturos, agendum potius de illis fuisse in Physicâ.* Non de omnibus autem Aristoteles id ipsum jure affirmare potest. Vide *Simplicium* pro contraria sententia & usu omnium sic dictorum post prædicamentorum, apud *Regium*, qui illi assensum præbet, (y) cum plurimis aliis. Quod tamen non desint, qui post prædicamenta fundare negationem, terminis affirmabilibus ante prædicamenta pertractatis, existiment, unde motus quoque, quia qvatalis ad negationem nihil facit, huc non pertinere at, certum est. Vid. *Pascha* (z).

(y) comm.  
ac disp. log.  
l. 2. probl.  
8. p. 537.  
(z) qvæst.  
ætemp. p.  
317.

§. XV. Quid vero dicent circa libros de interpretatione inscriptos? Ita judicat de iis *Aristotelis*, quæ prædicamenta excipiunt, scriptis *logicis Gassendus*; judicium suum confirmaturus sequentibus verbis: *Annon exteram lib. I. definitur, quid nomen, quid verbum, quid oratio sit? Quid enim, annon isthoc esse dicent grammatici muneris? Si opponant ut jam antea, fuisse cognitionem istorum Dialectico necessariam: Oportuerat igitur & declinationes, & conjugationes & cetera omnia vocum accidentia in Dialecticam transferre: Cum illorum etiam cognitio Dialectico necessaria sit. Certè novit optimè Puer ex ludo literario prodiens, quid nomen, quid verbum quid item nomen substantivum, quid verbum substantivum sit. Sed, modo paululum res consideretur, non poterit negari, superfluam esse illam *Gassendi* orationem. Intelligitur enim ab *Aristotele* h. l. nomen, quatenus subjecti loco in enunciatione ponitur, & verbum, in quantum prædicati occupat vicem. Et sumi nomen in ea latitudine, ut præter nomen grammaticum etiam pronomen complectatur; & verbum ita, ut participium includat; *Leichnerus* testis est apud *Pascham*. (a) Imo in sequentibus ipse *Gassendus* voveam sibi fodit, ostendendo differentiam inter acceptionem nominis ac verbi, in sensu logico & grammatico. Ait enim: *per dialecticam nominis definitionem neque adjectiva neque casus obliqui nomina erunt: Et jux-**

(a) l. c. p. 365.

*ta verbi definitionem nulla prorsus vox erit verbum, præter hanc unam vo-*  
*cem, Est.* Cæterum in ipsis quoque his verbis mentem Aristotelis iterum  
 non ritè explicat. Nimirum, licet nomen *obliquum* ab Aristot. non agnosca-  
 tur pro nomine vero, verum tantum nomen rectum, quod est casus no-  
 minativi; quem exinde hic refutat *Pascha* (b): tamen falsum est, quod nulla (b) l. c. p. 273.  
 vox juxta Aristotelem sit verbum, præter unicum EST. Neque *sarius esset, mo-*  
*nerè Tyronem*, ita enim porrò loquitur Gassendus: *id solum Dialecticis esse ver-*  
*bum, quod accepisset in Grammatica esse verbum substantivum presentis tempo-*  
*ris tertie personæ, modi indicantis: Aut etiam brevius, vocem, Est: potius quam*  
*prolixis illis conturbare definitionibus.* Compendium enim hoc dispen-  
 dium esset; cum manifestò falsum sit, quod per verbum nihil aliud denotetur  
 apud Arist., quàm vocula Est. Definitur enim verbum logicum ab Ari-  
 stotele: *Quod adsignificat tempus, cujus nulla pars significat separatim,*  
*semperque est nota eorum, quæ de altero dicuntur.* Exemplum addit, quod  
*valetudo nomen sit, valet, verbum.* Id interim non negamus, quod *Aristo-*  
*teli tantum præsens* appellatione verbi hoc loco veniat, non autem præ-  
 teritum & futurum, quia expressè dicit: *valebit & valuit, non sunt ha-*  
*benda verba*, quàm sententiã iterum rejicit loco cit. *Pascha*. Quod addit Gas-  
 sendus: conturbari prolixis definitionibus *Tyronem*, pariter non negamus, sed  
 explicationem laudamus prudentem atque brevem, non vero refutationem  
 immodestiam & furoris plenam, ex qua illa quoque jam ante citata Gass. ver-  
 ba profluere judicamus, quod scilicet, si doctrina de nomine & verbo in  
 logicis ex Grammatica potuerit repeti; pariter oportuerit declinationes & con-  
 jugationes huc transferre. Longe enim dispar istorum est ratio. Declina-  
 tionum & conjugationum latinarum scientia in eo supponitur, cui lati-  
 nè loqui incumbit. Itaque ad Logicum, qua talem, nunquam spectat ta-  
 lia curare. Sed quænam subjectum & prædicatum constituent, Logico in  
 secundâ mentis operatione versanti scire necessum est; & hæc sunt ipsa  
 nomina atque verba.

§. XVI. Dispiciens jam de modalibus Gassendus, de his inquit:  
*Inter cætera memorare nihil attinet farraginem illam propositionum mo-*  
*dalium, in quibus tractandis tot libri secundi insumuntur pagina.* Dispe-  
 ream enim, si *Viro cordato quisquiliæ illæ non excitent nauseam.* Sed si  
 accusare vel irridere sufficit, quis innocens erit! Multa utilissimè de mo-  
 dalibus tractari propositionibus, ex iis patet, quæ adducit *Cornelius Mar-*  
*tini* (c), errorem simul detegens *Rami, Censoris Aristotelis, sed sine papuli* (c) de anal.  
 log. c. 4. p.  
 suffra. 61. & seqq.

*suffragio*, (ut eum appellat idem *Martini*) *Gassendi* præcursoris. In modali enim enunciatione præter nudam enunciationem, quam *dictum* appellant, *modus* etiam, sive determinatio, prædicatum ad subjectum restringens, respici debet; unde etiam non oppositionem per nudum NON, copulæ potissimum immediate præfixum, quæ dicitur *simplex*; sed *compositam*, sive, quæ sit per particulas, *non est verum, sive falsum est*, vel per particulam NON toti enunciationi oppositæ præfixam, & rectè exponendam, (quam ob rem illam contradictionem *exponibilem* quoque appellat *Weis.*) (d) in modalibus adhibendam esse, prudentes tradunt Logici. V. gr. si diceret aliquis: necesse est Alexandrum esse Domitorem orbis; non rectè ita contradiceremus: necesse est Alexandrum non esse Domitorem orbis: imò utraqve etiam harum propositionum falsa est; si de absoluta necessitate loquaris: verum sequenti modo: Non necesse est, sive falsum est, quod necesse sit, Alexandrum esse Domitorem orbis. Et in tali enunciationum oppositione inter alia lapsus est ille, cujus ante mentionem fecimus, *Ramus*, dum contradictorias putat haberi has propositiones: *Socratem esse animal necesse est*, & *Socratem non esse animal est necessum*, cum tamen particula *Non* toti deberet propositioni præfigi. Optimo igitur jure omittere potuisset *Gassendus*, quæ stylo maximè sceptico seq. in modum, quasi re benè confecta, protulit: *pusilla ingenia itâ bellè sibi sapere videntur, dum istis quasi modalium sacris iniciantur, ut, quotquot illa non adorant, quasi prophanas pecudes arceant*. Magnum lanè *Gassendi* & *Rami* ingenium veritatem triti illius comprobat, reprehendere facilius esse, quàm imitari.

(d) doct.  
log. p. 31.

§. XVII. Analyticorum libros refutaturus *Gassendus*: *Non*, inquit, fuerat rursus de propositione libri 1. priorum (sc. Analyticorum) tractandum, cum de illa ex professo jam antea esset tractatum in libro de interpretatione. Sed non attendit, quod una eademque res in diversis disciplinis optimè considerari possit; licet non uno eodemque modo. Philosophi dicunt, objectum materiale commune esse, sed non objectum formale. Sic *Ens* in *Metaphysica* consideratur, quatenus *Ens* est, vel quoad ipsam essentiam, abstractè sive in genere consideratam; *Logica* *Ens* spectat, quatenus operationes mentis circa illud versantur. Similiter *Homo* & in *moralis* disciplina consideratur, & in *Theologia* revelata. Verum in illa, quatenus civiliter, in hac, quatenus est in æternum beandus. Diversus igitur respectus omnem difficultatem tollere potest. Hac ratione in logicis de  
termino

termino in omnibus tribus agitur mentis operationibus. In prima quidem, quatenus illam dirigit; quia simplex rerum apprehensio non potest absque termino fieri. Signa enim rerum sunt voces & conceptus, & auditâ voce *Homo*, de animali rationis particeps cogitamus. In secunda eo modo, quatenus ingreditur enunciationem, in qua subjecti vel prædicati occupat locum. In tertia vero, quatenus in discursu integro occurrit, ut, quando vel de majore & minore, qui in ipsâ quæstione vel thesi reperiuntur, vel de medio termino, qui probationis vicem sustinet, loquimur. Pari modo quis negaret, & de propositione in secundâ & tertiâ mentis operatione agi posse; hoc est, si stylo *Aristotelicô* uti placet, & in libris de interpretatione, & *Analyticorum*? Ibi enim de ea tractatur præciso respectu argumentationis, & quatenus dirigit secundam operationem mentis; hic vero, quatenus ingreditur ipsum discursum, & aut argumentationem aut methodum constituit.

§. XVIII. Sed audiamus ulterius? Deinde vero, ait *Gass.*, quia precor est usus tot conversionum, quæ tam sæpè iterantur! Annon vero doctrina de conversione rectè exulta maximum præbet usum in reductione syllogismorum secundæ & tertiæ figuræ ad primam, in eorum gratiam, quæ non alia libenter, quam in ipsa prima figura formata argumenta assument, (quamvis hoc ipsum quoque ex falsa tantum persuasione oriri certum sit) instituenda. Si enim modò teneas, quid sit conversio simplex, nempe, quando ex prædicato fit subjectum salva manente quantitate & qualitate; & ea per contrapositionem, nempe, quando ex prædicato fit subjectum mutata qualitate: secunda figura ad primam reduci absque ulla difficultate potest. Major enim negans modo simpliciter convertenda est, affirmans vero per contrapositionem, & statim loco secundæ primam habebis figuram. Sit exemplum majoris affirmantis, cum negans facilius fit, sequens: *O. Magistratus imperat, servus non imperat, E. servus non est Magistratus.* Jam convertatur major per contrapositionem seq. modò; *Q. non imperat, ille non est Magistratus.* Addatur ipsa minor & conclusio pristina; & argumentum est in primâ figurâ. Ne verò quenquam conturbet regula illa, quod minor in primâ figura non debeat esse negans; aliunde constare debet, quod positus particulæ *Non* in minore propositione sit crypticus, sive occultus. Quia enim illa ad medium pertinet terminum, ut ex majore patet; ergò in minore quoque non totam afficit enunciationem, sed tantum prædicatum. Unde remota crypti seq. est minor; *Servus est is, qui non imperat;*

perat; atque sic antea juxta externum tantum positum erat negativa, virtualiter autem affirmans, prædicati infiniti. Et ipse syllogismus, si vocabulum technicum ab Aristotelicis juxta rationem vocalium ab *Aristotele* ad qualitatem quantitatemque propositionum indicandam positarum, inventum, adhibere placet; (talìa verò vocabula, licet non debeant iis, qui breviter tantum, quæ logici sunt muneris, audire volunt, multo cum temporis dispendio proponi, cum ipsa res longè brevius ac clarius per certas, easque paucas regulas confici possit; non planè tamen ignorare optimum est; inprimis, cum illa longè magis ad usum accommodata sint, quam illa, quibus *Zeno Eleates* aliique antiqui Logici usi sunt; e. g. modus *Achilles*, qui à re in argumentatione contenta nomen acceperunt. Conf.

(c) sect. 1.  
§. 7.

(f) Erot.  
log. p. 103.

dicta in *diff. de ortu & progressu Log.*) (c) est in modo *Celarent*. De ipsa autem memorata reductionis ratione vide, qui eam, rejecta veteri, commendat *J. Thomas*. (f). Et quis eam antiquæ non præferret, cum eò modo ipsissima in secunda figura ante posita conclusio maneat; quæ planè converti debet, vulgarem reductionis modi *Camestres* ordinem retinendo; atque sic de alia thesi, s. quæstione (quæ in syllogismo vocatur conclusio) probanda agitur in secundæ, de alia in primæ figuræ argumento. Exempla vulgaris reductionis in antiquis Log. occurrunt. Porro in *tertiâ figurâ*, ubi minor se aliter habet, quàm in primâ, conversio quoque totam rem tollit, convertendo minorem illam propositionem tantum *simpliciter*, si est particularis, vel *per accidens*, ubi nempe ex prædicato fit subjectum mutata quantitate, h. e. mutato signo universalis, *Omnis*, in signum *particulare* τὸ *Quidam*. Exemplum posterioris sit sequens: *O. Tyrannus est crudelis*, *O. Tyrannus est homo*, *E. Q. homo est crudelis*. Jam converte minorem per accidens: *Q. Homo est Tyrannus*; & habebis argumentum primæ figuræ. Posterius illustrabimus illustri illò argumento contra *Nestorium* directo: *Christus est DEus*; *Christus est Homo*; *E. hic Homo est DEus*: (cujus argumenti *Nestorius* præmissas admisit, negatâ conclusione) ibi minor converti debet: *hic Homo est Christus*; & res confecta est, ut prima adsit figura. Illi tamen modi *tertiæ figuræ*, in quibus major occurrit particularis, qui appellantur vocibus *Disamis* & *Bocardo*, alia adhuc opus habent observatione, quia in prima figura major semper requiritur universalis. Itaque minor, quæ est in illis modis universalis, transponenda venit in locum pristinae majoris, quæ ipsa tunc una cum conclusione converti debet. Sed satis de his h. J. Remittimus B. L. ad modò

(g) l. c. p.  
106. seqq.

(h) pharo  
intell. p. 143.

laudatum *J. Thomasmum* (g), & *Grosserum*, qui sua ex hac fonte irrigavit (h).  
§. XVI, Quid

S. XIX. Quid nunc Gassendus? Egregia porrò, ait, *methodus!* ut postquam de Syllogismo jam multa differuit, *querat, detur*ne syllogismus? Sic nimirum confecto pralio, vel etiam dum congressus est, *deliberandi tempus est, praliumne sit committendum?* Sed methodum esse liberam anne ipse Gassendus concedit, dum in *præfat. exercitationum* harum (i) fatetur, se in libris hisce philosophaturum esse *comparatè*; quare *præscriptam* (ab Arist.) *dispositionem tenere velit?* Retulit tamen postea omnia, quæ notam mereri videbantur, ad 4 capita: (k) *deficientia, superflua, falsa, & contradictoria.* Potuisset sane etiam proprium ponere Philosophiæ ordinem, & data occasione *Aristotelis* invadere placita. Quâ methodo in resutandâ C. Thomasi introduct. ad *Phil. aulicam* usus est Rhegenius in *specimine Logicæ Claubergii.* Verum præterea non videmus, quomodo methodus minus decens ad superflua referri possit. Et idem dicendum de verbis Gassendi statim seqq. *Cum vero primæ figuræ primum modum demonstrare vult (Arist.); annon dices, istum stellam minutissimam solem illustrare.* Defectum talia arguunt, non aliquid superflui, unde illa ad hanc exercitationem referre *superfluum est.* (j) p. 105 (k) p. 125.

S. XX. Modalium tractationem ab Arist. institutam ita perstringit Gassendus: *Prætereo, quam inutilia, quam absona sint, quæ de modalibus congeruntur! Legat illa digeratq;, qui valentiore sit stomacho. Conscientiam enim appello juratorum sectatorum, si illa vel legere, vel addiscere, vel ad usum revocare studeant.* Ut autem his ita dure prolatis fidem aliquam conciliaret, pergit adducere Autorem illius censuræ, cujus ante fecerat mentionem, maximum Arist. adoratorem, cujus etiam in laudem Arist. prolata verba citat, qui tamen, ubi ventum est ad libros priorum Analyticorum, inter cetera habeat sequentia: *Nibil excogitari potuit ad omne artium ac scientiarum genus conducibilis, quam syllogismorum formula. Nihil rursus molestius, quam quæ de necessario possibili impossibili & contingenti comparat, & conjungit inter se: Magno quidem illa acumine: quis neget? Sed inutiliter.* His verbis Gassendus sequentia gloriationis plena subjungit: *Ita mirum veritas verba hac tandem extorsit ex eodem calamo, qui antea quasi luxurians ita rhetoricabatur.* Ast, quali etiam verborum lenocinio sententiam suam pingat Gassendus, merè tamen argumentatur à particulari ad universale; quare argumentandi genus Scepticis consuetum esse, experientia docet. Sic in ipsa assertionem de dubitationis perpetuæ præstantia eos committere fallaciam a Dicto secundum quid ad dictum simpliciter, rectè observat

(l) Differt. *servat M. Wilde: (l) dum ex eo, quod ostendunt, in hac vel illa re non dari*  
 Quod ali- *scientiam, concludant ad res omnes.* Idque reprehendit etiam in *Cicero-*  
 quid scitur. *ne, (m) contra Lucullum, cum quo de sceptica dubitatione disputat, mentem*  
 3. art. 2 §. 3. *suam probaturo. Esse in modalium tractatione ab Aristotele instituta, quæ*  
 (m) in Lu- *limam merentur notamque, esse quoque multa minus necessaria, non ne-*  
 cullo. *gamus. Quæ hic desideret Pascha, videri apud ipsum possunt (n). In-*  
 (n) quæst. *terim multa quoque hic utiliter præcipi, res ipsa docet. Cavendum enim,*  
 ext. p. 75. *ne diversæ nos turbent acceptiones vocum modos constituentium. V. gr.*  
*Si argumentum adest: Impossibile est virginem posse parere: Impossibile est*  
*Mariam non fuisse virginem: E. impossibile est Mariam potuisse parere: Ubi*  
*majorem aliquis accipere potest de impossibilitate naturæ, & secundum*  
*quid tali; conclusionem autem de impossibilitate natura & simpliciter tali;*  
*atque sic fallere & falli. Pari modo benè advertendum, an ex mo-*  
*dalibus puris, ubi idem modus in toto argumento manet, constructus sit*  
*sylogismus, an ex mixtis, ubi modales & absolutæ, vel modales diverso-*  
*rum modorum propositiones conjunguntur, Quoniam longè alia ratio est*  
*sylogismorum ex puris necessariis atque impossibilibus constantium, quam*  
*cæterorum; & in quibusdam tuto conclusio modalis inferri potest, in reli-*  
*quis non item. Sed de his confer., qui hypothesein Bechmanni, Jacobi*  
*Martini, Scharffii, aliorumque hoc loco accuratè examinat, modo lau-*  
*datus Pascha.*

§. XXI. Post hæc varia coacervat *Gassendus*, quæ ad superfluum  
 classem *ex libro secundo priorum analytic.* refert, sequentem in modum  
 loquens: *Quam superflua precor, ac ridicula doctrina de syllogismi potesta-*  
*tibus! ut de conversionibus, de conclusione plurium, aliisque similibus.*  
*Quam etiam tautologicè de Elencho, de fallacia, de petitione principii, cæ-*  
*terisque disputatur! cum præsertim integrum opus huic materiæ destinatum*  
*sit.* Ejusdemque farinae sunt, quæ contra *Lib. I. post: Anal.* profert. Sed mera  
 sunt verba adversæ mentis plena. Sint sanè multa ex his superflua, & sæpius  
 in *Arist.* occurrentia. Annon in elegantissimis sæpè scriptis digressiones oc-  
 currunt, quæ superflua a rigido Censore possunt judicari. Et licet non omnia  
 ab *Arist.* posita necessariò in propositione artis logicæ repeti debeant; ta-  
 men modeste talia prætereunda esse profitebuntur, qui non *Zoili, Aristarchi,*  
 aut *Scioppii* sunt asseclæ. Et quomodo quis sibi persuadere possit, *Gassen-*  
 dum hæc & alia de jure *ridicula* vocasse, qui postea (o) *Aristotelem* ob  
 artificium syllogismi rectè contemendi in his lib. traditum, quod nemo ante  
*Aristo-*

(o) Tom. I.  
 p. 47.

*Aristotelem aut observarat aut docuerat, (quæ sunt ipsius verba) maxime commendat, & exinde supervacanea passim occurrentia excusat. De posterioribus interim syllogismi conf. J. Martini (p). Adducemus tantum (p) Inst. log. ex ipso aliquid de conclusione plurium ex uno syllogismo, quam ut primam numerat facultatem. Docet itaque, fieri eam conclusionem plurium duplici modo: (1) conversione conclusionis, (quam Aristoteles appellat conversionem syllogismi) juxta hanc regulam: Probata conclusione ejus etiam convertens probata est. Exemplum subjungitur sequens: N, donum DEI DEO Deique Verbo vel contrarie vel contradictorie est oppositum: O, vera philosophia cum omnibus suis regulis & maximis est donum DEI: E, nulla philosophica regula vel maxima est contradictorie vel contradictorie DEO vel DEI verbo opposita: Et per consequens, quodcumque contrarie vel contradictorie DEO, vel ejus verbo opponitur, neque philosophia, neque philosophica regula vel maxima est. (2) Subsumptione, & iterum duplici modo: Primo, quando sumitur terminus aliquis sub minore contentus, de quo Major non secus ac de ipso minore concluditur, v. gr., si ex præmissis ante positi syllogismi hæc deducantur per bonam consequentiam conclusiones: Ergo Logica non est contradictorie opposita verbo DEI: Ergo Physica non est contradictorie opposita verbo DEI: Deinde, quando sumitur minor terminus, qui ipse sub medio continetur. Ut, O, conservans societatem est utile: O, virtus conservat societatem: E, O, virtus est utilis. Ibi sub medio termino loco minoris (qui erat, virtus) subsumatur alius, nempe, Justus contractus. Et jam minor propositio est: O, justus contractus conservat societatem; Conclusio a., E, O, Justus contractus est utilis. Usus hujus doctrinæ quadruplicem idem Vir constituit, adducens secundo loco, quod probata quadam conclusione statim videre queamus, quæ nam consequentia inde queant deduci: & tertio, quod, quæ conclusiones eodem modo probari queant, sciamus. Conf. etiam Pascha (q), ostendens, quod unius syllogismi plures dari possint conclusiones minus principales ac mediatae; quod etiam usum habet in tractatione de modis figurarum indirectis. Vid. præter Pasch. l. c., Bechm. (q) quæst. extemp. lib. 3. c. 2. quæst. 28.*

(r) Neque desunt aliorum Virorum doctorum confessiones de insigni Analyticorum usu. Adducemus tantum hac vice ea, quæ profert V. Placcius (r) Inst. log. p. 395. seqq.

(s). Verba ejus, postquam de diligentia in reliquis disciplinis addiscendis adhibita dixerat, sunt sequentia: *In primis vero in Logica, & ejus quidem parte analytica interiore de arte demonstrandi, ut eo usque proficerem, elaborandum mihi constituerem: ne non possem intelligere modo, cur ista, quæ audiebam, sic & non aliter proponerentur: sed & ipsemet ea, quæ illic non*

audi-

D

audirem; -- elaborare, & desideratas practicarum scientiarum accessiones in posterum meditari valerem. Quare etiam analytica Aristotelis diligentissime semet legisse, addit, nec non gavissimum esse, quod Cartesianam Philosophiam non nisi Aristotelicam jam edoctus, didicerit, neque eam reliquerit contemtam, penamq; talis incuriæ nimiam & vel inlogice analyticas ignorantia sola inestimabilem sustinuerit. Adjungit deniq; magni Boecleri huc spectantia verba (t), qui, postquam dixerat, superesse, quæ post Grotium in jure naturæ pertractari possent: alterum genus, ait, ad Analyticos pertinet. Si quis daret nobis contextam discipline seriem, qua prima priori loco, inde consequentia suo quæq; ordine, -- ex principiis deniq; fundamenti loco positis firmatisq; conclusiones, ut ex se ad invicem apte sunt, proponerentur. -- Palma in medio posita est, quam cum multa laude victor propositi auferret: indebitam interim iis, qui Analytica secreta verbis præferunt, re non præstant ipsa.

§. XXII. Circa eosdem libros Gassendus: dicere vero nihil attinet, ait, quanta in libro secundo verborum farragine, quantis ambagibus obscurantur, quæ de definitione tractantur. Si definitio est oratio, quæ rei naturam in aperto collocaet: ipsa certe non poterat densioribus tenebris offundi. Pari ratione se habent, quæ de divisione traduntur. Conqueritur hic de obscuritate Aristoteles Gassendus. Causas illius si requirere placet; Viottus (u) Aristotelem imprimis doctrinam de demonstratione tanta obscuritate involutam tradidisse existimat ob Scepticorum metum, qui omnes sententias argutis cavillationibus insectabantur. Sed non videtur assensum impetrare posse ista opinio; quia Aristoteles in nonnullis librorum suorum fuerat locutus perspicue, annotante

(u) præf. lib. demonst.

(x) exerc. 4. P. 125.

alibi ipso Gassendo (x), ubi Scholasticos taxat, quod claros ejusmodi libros rejecerint, ut ex mille Peripateticis vix novisse se testetur unum, qui vel æconomicos, vel politicos, vel animalium historiam legisset. In istis igitur scriptis cur non pari modo obscuritatem Scepticorum gratia sectatus esset Aristoteles? Adducit ibidem Gassendus ex ipsis Aristotelicis, qui fateantur, Aristotelem non aliter quam datâ opera obscura nobis scripta reliquisse, Authorem illius censuræ, quæ vulgo jam præfigitur operibus Aristotelis; qui post magnas laudes: accedebat ad hæc, inquit, ingenium Viri rectum & callidum & metuens reprehensionis: quod inhibebat eum, ne proferret interdum aperte, quæ sentiret. Inde tam multa per ejus opera obscura & ambigua. Ex hujus igitur sententia Aristoteles, ut iis, qui discrepantes forent sententias, ex utraqve parte placere posset, talem affectavit ambiguitatem; non secus ac Patres Concilii Tridentini, qui ob dissensum suorum idem institutum servarunt, referente ex eorum numero P. Sarpio (y). Sed & tale consilium nullo modo tutum est. Prævidere enim

(y) in historia Concilii Trident.

enim

enim potuit Aristoteles, quod ipsam ambiguitatem plurimi essent reprehensuri, quodque ea remedium sufficiens adversus reprehensiones præbere non possit. Communiter dicunt, factum id esse *ab Aristotele, ne Philosophia contaminaretur profani vulgi manibus*; quod pariter adducit ipse Gassendus loco mox cit. Verum per affectatam ambiguitatem optima quoque ingenia partim deterreri possunt, partim per amplum temporis spatium detineri a veritatis inventione, partim in alienum sensum trahi. Aliam causam recenset *Plutarchus, de Alexandro* agens (z), quod nempe in gratiam Alexandri tam obscuram instituerit tractationem Arist. Cum enim ille acroamatizarum quoque disciplinarum notitiam hausisset, conqvæstus fuit literis ad Aristotelem datis, illum *dignitatem earum evulgatis præceptis profanasse*. Aristoteles autem rescripsit, ita editos esse istos libros, ut pro ineditis censerentur. *Cognosci enim percipique, ait, ab iis tantum poterunt, qui nos audierint*. Ast neque hæc ratio satis exculat *Aristotelem*. Potuisset enim tanto Principi, pro ea, qua apud ipsum valebat, autoritate ostendere, quod gloriosum ipsi futurum esset, (quod argumenti genus quam maxime *Alexandrum* capere poterat) subditos habere in omni scientiarum genere quam accuratissimè instructos. Quin & mortuo *Alexandro*, si consignata clarius habuisset placita sua, tali ea modo edere debuisset, ne tantus thesaurus orbi esset subtractus. Non possunt quoque defensores obscuritatis *Aristotelica* ad Scripturam provocare, quia ea respectu finis sui longe clarissima est, & in reliquis obscuritas non absque ratione solidissima adest. Sic *Augustinus* (a) *obscurioribus fastidia detergi*, ait, cum contra *locis aperioribus fami occurratur*. Immo *Hieronymus* quoque, (b) comparando phrasin scripturæ cum stylo *Philosophorum*: *Platonem*, ait, *paucis scripsisse, quia vix tres homines intelligunt. Apostolos vero & Prophetas non paucis, sed universo populo scripsisse, ut omnes intelligerent*: Conf. ex professo *B. Gerbardum*, qui hæc quoque loca citat (c). Laudari itaque affectatam illam *Aristotelis* obscuritatem non posse, clarum est. Interim tamen hoc non prætereundum, quod non *mythica nec symbolica*, ut Philosophi plurimi ante ipsum, sed *aperta* sermonis ratione in philosophando usus sit Aristoteles, quod in eo præter alia laudat *Vossius*. (d) *Gassendus* vero obscuritatem *Aristotelis* jure accusare non potest, nisi suam quoque Ecclesiam, de qua tamen: *committo semper me*, ait, & *mea omnia iudicio unius -- Romana ecclesia*; in eodem passu damnare velit. Et quomodo hoc punctum inter superflua ponere potuit *Gassendus*, cum utilissima sint *Aristotelis* de definitione & divisione monita. Unde verè sub initium ait *Gassendus*: *dicere vero nihil attinet*.

(a) iib. 2. de doct. Christ.

16.

(b) in Ps. 86.

(c) loc. theor. l. i. c. 5. p. 49. & in exeg. l. i. c. 20. p. 457.

(d) de sect. phil. p. 86.


§. XXIII. Libros Topicorum examinaturus Gassendus: nugacissimas porro nugas, ait, quibus libri topici sciant, commemorare quis valeat? Parturiunt montes, sed ecce! nascitur ridiculus mus. Nihil enim aliud adducit, quam quod nonnulla, libris præsertim 4. s. 6. per negationes tradantur. Et quidem per integram ferè paginam rhetoricatur, proferens exemplum Grammatici, qui proposita definitione nominis; *nomen est pars orationis, quæ declinata per casus corpus aut rem significat*, sequentia addit verba negativa: *si non est pars, non est nomē, si non declinatur, non est nomen &c. &c.* Sed si nemo has quisquillas probarit, quæ sunt verba Gassendi, anne libenter talia à Gassendo proposita audientur? Satius enim fuisset, unum tantum vel alterum verbum ea de re proferre, quam tantam verborum multitudinem. Et anne hæc tantis dignerant, cum nulla alia essent in promptu, convitiis & vociferatione; cum ad minimum ad claritatem rei talis negativa tractatio aliquid conferat.


§. XXIV. Ultimo loco ad lib. *Elench.* Sophist. se convertens Gassendus: *Expendi solummodo velim*, ait, *annon fallacia, quæ dictionis sunt, ad Grammaticam potius vel Rhetoricam pertineant? Annon it., quos assignat Sophistarum fines solæcismum & nugationem, alterius sint loci & aliunde corrigendi, quam ex ipsa Dialectica.* Sed nemo, qui solum audit in libris hisce de syllogismo sophistico & Sophistarum malitia tractari debere; negabit, de hisce quoque, quæ ex verborum ambiguitate oriuntur, sophismatibus, hic tractandum esse. Id non negamus, brevius rem & faciliori methodo tradi posse. Et ut ipsa solvendorum sophismatum ratio optima constet, sequentia sunt tenenda. Peccant illa aut in materia, aut in forma. Si hoc; remedium ex regulis syllogisticis quærendum est. Si autem illud; attendenda est ante omnia conclusio: an illa scilicet vere nobis, an apparenter tantum contradicat. Quod si apparenter; respondendum: Argumentum non esse contra thesin, sive laborare ignorantie Elenchi. Si autem verè; respiciendum ad præmissas. Et tunc altera earum aut planè est falsa; & responderi debet per negationem; vel ambigua; & corrigitur per adhibitam distinctionem, argumento applicatam; additè etiam ad majorem, si ea in promptu sit, instantia. Conf., qui quædam ex his adducit, *Grosserus (c)*. Exempla superaddere, h. l. nimis longum est, & explicationi potius doctrinæ logicæ orali reservandum. Itaque, cum Gassendus, his propositis, ita concludat: *Verum in dialecticam satis*; nobis pariter hæc adduxissetatis erit: ex devota adhuc mente, quod superest, exclamantibus:

SOLI DEO GLORIA!

(c) Pharo  
intell. p. 179.







the scale towards document

vod ipsam ambiguitatem plurimi essent reprehensu-  
 sufficiens adversus reprehensiones præbere non pos-  
 nt, factum id esse *ab Aristotele, ne Philosophia con-*  
*ulgi manibus*; quod pariter adducit ipse Gassendus  
 er affectatam ambiguitatem optima quoque ingenia  
 , partim per amplum temporis spatium detineria  
 rtim in alienum sensum trahi. Aliam causam recen-  
*andro* agens (z), quod nempe in gratiam Alexan- (z) cap. 12.  
 erit tractationem Arist. Cum enim ille acroamati-  
 arum notitiam hausisset, conq̄æstus fuit literis ad  
*dignitatem earum evulgatis præceptis profanasse.*  
 p̄sit, ita editos esse istos libros, ut pro ineditis cen-  
*nim percipiq̄ve*, ait, *ab iis tantum poterunt, qui nos*  
 e hæc ratio satis excusat *Aristotelem*. Potuisset  
 ea, qua apud ipsum valebat, autoritate ostendere,  
 turum esset, (quod argumenti genus quam ma-  
 e poterat) subditos habere in omni scientiarum ge-  
 è instructos. Quin & mortuo *Alexandro*, si con-  
 placita sua, tali ea modo edere debuisset, ne tantus  
 ractus. Non possunt quoque defensores obscuri-  
 pturam provocare, quia ea respectu finis sui longe  
 vis obscuritas non absq̄ve ratione solidissima adest.  
*rioribus fastidia detergi*, ait, cum contra *locis aper-*  
*er*. Immo *Hieronymus* quoque, (b) comparando  
*ulo Philosophorum: Platonem*, ait, *paucis scripsisse*, (b) in Pl. 86,  
*elligunt. Apostolos vero & Prophetas non paucis, sed*  
*ut omnes intelligerent*: Conf. ex professo B. Gerbar-  
 a citat (c). Laudari itaq̄ve affectatam illam *Aristotelis* (c) loc. the-  
 clarum est. Interim tamen hoc non prætereundum, or. l. i. c. 5.  
*mbolica*, ut Philosophi plurimi ante ipsum, sed aperta p. 49. & in  
 olophando usus sit Aristoteles, quod in eo præter alia exeg. l. i. c.  
*ndus* vero obscuritatem *Aristotelis* jure accusare non 20. p. 457.  
 cclehiam, de qua tamen: *committo semper meq̄*, ait, & (d) de sect.  
 -- *Romane ecclesie*; in eodem passu damnare velit. (d) phil. p. 86.  
 um inter superflua ponere potuit *Gassendus*, cum uti-  
 definitione & divisione monita. Unde verè sub initi-  
*quero nihil attinet.*

(a) iib. 2. de  
 doct. Christ.  
 16.  
 (b) in Pl. 86,  
 (c) loc. the-  
 or. l. i. c. 5.  
 p. 49. & in  
 exeg. l. i. c.  
 20. p. 457.  
 (d) de sect.  
 phil. p. 86.

§. XXIII. Li-